

Eodem tempore quesivi etiam, num domino Ioachimo Camerario honorarium aliquod decernere vellent pro labore impenso in describenda reformatione. Cum censuerunt honorificum ei poculum esse donandum, emi igitur de communitatis pecunia poculum artificiosissimum inauratum pro 39 flor. et gr. 3 eique communitatis nomine obtuli.

C 282. Domino Homelio quoque sponso sub decanatu meo ex communitatis decreto poculum argenteum donavi pro flor. 13 et gr. 16.

Debat communitati Valentinus Rentsch famulus publicus 80 flor. De his 50 reddidit mihi decano. Triginta vero residui concessi illi sunt denuo ad annum unum pro censu consueto ad chirographi traditionem, cui, si commode posset, adiungeret etiam consensum senatus.

Domino doctori Matthaco Heuslero preter 16 flor. et 9 gr., quos ante communitati debebat, mutuo dati sunt de consilii sententia adhuc 43 flor. et gr. 12, ut in summa debeat communitati 60 flor. Hi deposita cautione pro annuo et consueto censu concessi ei sunt ad annos quatuor, ut latius habetur in ipsius chirographo.

De professorum praemio pro labore examinatorum. Die vicesimo quarto Septembris a consilio decretum est professores a decano requisitos examinationi suae doctrinae interesse debere iisque singulis, quos sors examinatores fecisset, pro eo labore a decano dimidium talerum in quolibet examine esse largiendum. \* Sept. 24.

### 1558 Wintersemester. 299. Decan Thomas Hofmann von Forchheim.

N 158. Thomas<sup>1)</sup> Hofman Forchemius, optimarum artium ac philosophiae magister, summa totius consilii voluntate praefectus est curationi studii optimarum disciplinarum et artium et decanus factus anno salutiferi partus millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo Idibus Octobris, cuius semestri studia et ab iis, quorum nomina Oct. 15. subiecta sunt, et ea ratione, ut annotavimus, administrata fuerunt.

#### I.

N 158. Executorum munus administrarunt una cum decano optimi et doctissimi viri:

mgr.	{	Iacobus Lotgen      Polonus
		Mauritius Steinmetz   Misnensis
		Ernestus Bochius      Saxo.

#### II.

Clavigerorum officio praefuerunt una cum decano

mgr.	{	Iacobus Lotgen et
		Mauritius Steinmetz.

#### III.

Procancellarii officio praefuit mgr. Ernestus Bochius, qui in examine candidatorum pro magisterio adiunctos habuit hos quatuor magistros: magistrum Iacobum Lotgen, Michaelem Barth, Georgium Masbach, Casparum Iungerman.

<sup>1)</sup> Dies Decanat fehlt in C.